regula. Sed quid: audi iterum regulam abbas cum
timore dei et observancia sancte regule omnia faciat
Item habet sic precipue ut premissa regulam in omnibus
conservet. Rursum ostensum est quod monachus non potest
habere nisi necessaria. et quod illa necessaria debent esse
quia. Nunc igitur pro amplius ostendendum est de pau
pertate quasi monachus debet ingredi et permanere
et pro hoc assumo capitulum de disciplina suscipiendorum
fratrum ubi de ingrediente sic dicitur Res si quas habet
habet eroget pauperibus aut facta solemni legatione
monasterio. nichil sibi reservans ex omnibus. Hec
est forma quod monachus non recipiatur nisi omnibus
abrenunciet. et totaliter sibi nichil reservet. et ergo
intelligitur per renunciacionem debet sic permanere ne
forte deus ei improperet dicens Hic homo cepit
edificare et non potuit consumare Et apostolus Carita
tem tuam primam reliquisti. Et quod hec abrenunciacio
sit intelligenda de presenti et futuro patet per regulam
ubi statim subiungitur Et si aliter fecerit sciat se adeo esse
dampnandum quem videtur quod hoc est deum irridere. vovere
et non reddere. Item patet per beatum bernhardum in libro
de dispensacione et precepto ubi tractat de hac materia
scilicet cur inter confessio hanc prerogativa meruit. quod
appellatur secundum baptisma Et dicit pro racione Exis
timo inquit quod propter perfectam abrenunciacionem scilicet per quam
homo mundo moritur et denuo regeneratur Sed rogo
quid illa esset perfecta abrenunciacio qua quis dimitteret
presencia et reservaret futura. vel iterum resumeret ea que
prius dimisit. Sed sunt aliqui qui dampnabiliter dicunt

no bi